



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.34. Sessio quarta. Patrum Auctoritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

- Sæcul. VIII. A.C. 787. p. 186. cipiebat. Amplectebatur etiam Traditiones Ecclesiæ de Veneratione Sanctorum, de Reliquiis & eorum Imaginibus. His epistolis lectis Legati Papæ edixerunt; illas utpote epistolis Tarasii & Hadriani consentaneas sibi probari. Deum laudarunt, quod Orientales in eadem Fide de Imaginibus consentirent, & subjunxerunt: *Si quis aliud credit, iudicio trecentorum decem & octo Patrum, qui in hoc loco congregati fuerunt* (nimirum in prima Synodo Nicena) *Anathema sit!*
- p. 187. pluribus aliis Episcopis profitentibus, se in eadem esse Sententia, tota Synodus
1. Octobr. consensus. Postremo Tarasius dixit: *Cesarunt iurgia, destructus est murus, quo separabamur. Oriens, Occidens, Septentrio & Meridies Fidei obediunt, omnes concordés sumus.* Ita huic Sessioni acclamando, orando, & Gratias agendo finis impositus.

§. XXXIV.

Sessio IV. Patrum Auctoritas.

- p. 198. Sessio quarta rursus post biduum elapsam habita est primo die Octobris anno septingentesimo octogesimo septimo. Cum Tarasius Patriarcha Libros Patrum ad demonstrandam Ecclesiæ Traditionem afferri iussisset, Leontius Imperatori ab epistolis legere cœpit Sacræ Scripturæ Textus de illis *Cberubim*, qui Arcam Fœderis

deris tegebant, & Templum intus orna-
bant. Postea lectus est Textus S. Chry-
sostomi de Sancti Meletii Imaginibus,
quas Fideles asservabant, & iterum tex-
tus alius, ubi de Imaginibus reveren-
ter loquitur. Item Textus S. Gregorii
Nysseni, ubi se ex aspectu imaginis Abra-
hami filium sacrificantis ad affectum pie-
tatis tenere commotum testatur. Præ-
terea tabellæ, Martyrium S. Euphemie
exhibentis, descriptio, quæ S. Asterii Ama-
seensis opus erat. Rursus locus ex vita
S. Anastasii Persæ, & alius de ejus mira-
culis. Dixeruntque Papæ Legati: *Hæc
imago S. Anastasii bodieque Romæ in quo-
dam Monasterio, ejusdemque pretiosum
Caput asservatur.*

Ex hoc loco probabatur, Deum oc-
casionem Imaginum miracula patrare, quod
ut confirmaretur, lecta est Dissertatio,
quæ S. Athanasii esse credebatur. In ea
narrabatur miraculum ejusmodi; erat
in Civitate Berytensi Jesu Christi Imago
a Judæis perforata, ex qua Sanguis pro-
fluxisse & multos ægrotos sanasse fereba-
tur. Hoc prodigio audito Synodi Patres
usque adeo commoti sunt, ut lacrymas
fuderint. Nihilominus constat, hanc
Dissertationem S. Athanasii opus non
esse; imo de veritate Historiæ, quæ in
ea refertur, non levis dubitandi causa
est. Hinc quamvis in hac Synodo magna
G g 5 fuerit

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

Ex. 25. 17.
Num. 7. 89.
Eze. 41. 16.
Hebr. 9. 1.
Sup. l. XIV.
p. 33. p. 202.
p. 207.

Sup. lib.
XXXVII.
S. 32. p. 215.

p. 218.

p. 223.

V. Athan.
edit. 1698.
to. 3. p. 343.

1. Octobr.

Sæcul. VIII. fuerit Episcoporum frequentia, non ap-
A. C. 787. paret tamen, quemquam interfuisse, in
 arte Critica satis versatum, nam plura
 alia scripta supposititia lecta sunt. (*) At
 ista Doctrinæ in Concilio definitæ non
 nocent, cum illa aliunde textibus Patrum
 genuinis confirmata fuerit; sed solum
 dispicitur, multa illo ævo fuisse ignorata,
 atque ad discernenda Opera Genuina vel
 Apocrypha necessarium esse, ut tempo-
 ris, quo scripta sunt, Historia, Chrono-
 logia, hominum mores, & stilus cogno-
 scantur.

Conc. p. 231.
 Sup. Lib.
 XXXIX.
 §. 18.

Lectæ deinde sunt duæ Epistolæ S. Ni-
 li, & mota est querela; quod secunda ab
 Iconoclastis fuisset depravata. Id quo-
 que notatum, in eorum Conciliabulo
 non Scriptorum ipsorum Libros, sed
 solum excerpta in foliis separatis fuisse
 allata. Lectus est postea locus ex Actis
 S. Maximi, ubi dicitur, quod ipse & E-
 piscopi Monothelitæ, qui ad ipsum con-
 venerant, coram Evangeliiis, Cruce, Ima-
 ginibus Jesu Christi & S. Virginis genua
 flexerint, salutaverint, & ad confirman-
 da sua promissa manu contigerint. Ad
 hæc

(*) P. Balduinus ad hunc locum dicit, vi-
 deri sibi Fleurium huic Sancto Concilio, cui
 Spiritus Sanctus assistebat, injuriam facere. Sed
 ipse Fleurius verbis, quæ sequuntur, satis suam
 reflexionem explicat, & purgat.

hæc Constantinus Cyprensis dixit; Cul-
tum hunc fuisse Adorationem, quia simul
ad Evangelia, ad Crucem & ad Imagines
dirigebatur.

Præterea lectus est Canon octogesi-
mus secundus sextæ Synodi, id est, Con-
cilii in Trullo, qui præcipit, Jesum Chri-
stum in forma humana pingi loco agni,
quem S. Joannes digito monstrat; atque
Elias Archipresbyter Ecclesiæ in Blacher-
nis, qui hæc coram Concilii Patribus le-
gebat, fassus est, se olim hac lectione fuis-
se conversum. Sabas Abbas Studien-
sis quæsit, quare hic Canon ex Charta
& non ex Libro recitatus fuisset. *Istud
ideo factum, respondit Tarasius, quia hæc
Charta Autographa est, in qua Patres
subscripserunt; Petrus vero Episcopus
Nicomediensis Librum obtulit, unde i-
dem Canon est recitatus.* Subjunxit
Tarasius: *Sunt, qui ex ignorantia con-
tendunt, hos Canones sextæ Synodi non
esse. Illis sciendum, quod Synodus sexta,
postquam Doctrinam Fidei contra Mono-
thelitas definivisset, anno Constantini de-
cimo quarto fuerit soluta; post quadrien-
nium autem vel quinquennium iidem Pa-
tres regnante Justiniano Constantini filio
iterum collecti fuerint, & Canones, de
quibus hic agimus, condiderint. Quæ-
res extra dubium posita est. Nam iidem,
qui sub Constantino subscripserant, etiam
sub*

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

Concil. VII.

P. 234.

Sup. Lib.
XL. §. 51.

I. Octobr.

Sæcul. VIII. *sub Justiniano subscripserunt. Quod ex*
A. C. 787. Scriptura singulorum conformi dispici-
tur. Mirandi certe locus est, quod Ta-

Sup. L. XL.
 §. 27. n. 48.

rasius non magis accurate diem & annum sciverit Conciliorum ante annos non plus centum celebratorum, quorum Acta in manibus habebat, & subscriptionum tempus conferre poterat. Nam sexta Synodus soluta est decimo septimo Sept. anno 681. & Concilium Trullanum non nisi post undecim annos, nempe anno 692. Indictione quinta inchoatum. Præterea alii etiam aderant Episcopi, qui in Synodo sexta non federant; his quatuor Patriarchæ annumerandi.

Tum petentibus Legatis lectus est
 p. 235. Textus longior ex libro quinto Apologiæ Christianorum contra Judæos, composito a Leontio Episcopo Napolitano in Cypro, ubi ostendit, quantum Cultus Imaginum ab Idololatria distet. Quo Textu recitato Constantinus Episcopus Constantiæ, illius Provinciæ Metropolitanus, dixit: *Ab hoc Sancto Patre, qui in aliqua Civitate Cypri Insulæ inclaruit, accepimus sermones panegyricos, & inter alios unum in Transfigurationem Domini. Scripsit vitam S. Joannis Eleemosynarii, sancti Simonis, cognomento Salsus, & quædam alia opera, ex quibus omnibus Orthodoxus agnoscitur. Floruit Imperatoris Mauritiæ temporibus.* Accurate

p. 246.

curate magis dixisset sub Heraclio, sub Sæcul. VIII. A. C. 787.
 quo S. Joannes Eleemosynarius migravit e vita.

Item, lecti sunt aliquot Textus Ana-Concilium
 stasii Episcopi Antiocheni, ubi agit de vo-Nicenum II.
 ce, *Adoratio*, ut eam a voce *Servitium* p. 247.
 seu *Latria* distinguat. Lectus postea
 aliquis Textus ex Prato spirituali, sub p. 251.
 nomine S. Sophronii Jerosolymitani, cum *Sup. Lib.*
 tamen Opus sit Joannis Moschi, ut suo XXXVII.
 loco diximus. In eo refert Responsum
 cujusdam Abbatis Theodori, quod qui-
 dem est omnino singulare, sed nihilomi-
 nus Fidem Ecclesiæ de Cultu Imaginum
 clare probat. Inde etiam Doctrinam p. 254
 verissimam deduxerunt; neminem con-
 scientiæ sibi ducere debere, si non im-
 pleat, quod temere juravit. Nam qui-
 dam obtendebant excusationem, quod
 jurassent, nunquam se cultum Imagini-
 bus exhibituros.

Lecta sunt tria Miracula, quæ Ima-
 ginibus Sanctorum Cosmæ & Damiani
 tribuebantur, rursusque aliquot Textus p. 255.
 S. Athanasii & S. Basilii, quibus demonstra-
 batur, honorem Imaginibus exhibitum
 ad Personam in Imagine repræsentatam
 referri. At Epistola S. Basilii ad Julia-
 num Apostatam, quæ etiam lecta, ficti-
 tia est. Lecti etiam alii Textus ex quo-
 rumdam vita, scilicet S. Simeonis Sty- p. 263.
 litæ, Joannis Jejunatoris Patriarchæ *Sup. Lib.*
 XXXV.
 Con- S. 47.

Sæcul. VIII. Constantinopolitani, quem Græci Sanctis
 A. C. 787. adscripserunt, S. Mariæ Ægyptiacæ, &
 S. Theodori Siceotæ.

p. 282.

Sup. Lib. la Gregorii II. Papæ anno 730. ad S. Ger-
 XLII. §. 2. 3 manum Patriarcham Constantinopolita-

p. 290.

p. 298.

p. 318.

Cultus Ima-
 ginum asse-
 ritur.

Sup. n. 28.

His omnibus recitatis lecta est Episto-
 la Gregorii II. Papæ anno 730. ad S. Ger-
 manum Patriarcham Constantinopolita-
 num data, & tres Epistolæ S. Germani,
 una nempe ad Joannem Synnadensem,
 altera ad Constantinum Nacopolitanum, &
 ad Thomam Claudiopolitanum tertia.
 Harum omnium suo loco meminimus.
 Tandem Synodi Patres exclamarunt:
Patrum Doctrina emendavit errorem no-
strum! in Patribus Veritatem inveni-
mus! ipsi nos docuerunt Imagines bonore
prosequi! filii obedientiæ sumus, & in
facie Ecclesiæ Matris Nostræ non erube-
scimus confiteri, quod ejus Traditionem
sequamur. Anathema Iconoclastis! A-
nathema illis, qui sacras Imagines non
colunt, & illis etiam, qui eas Idola vo-
cant! Ita plures Anathematismos in
 Charta descriptos, eosdem scilicet, qui in
 Fidei Confessione Episcoporum, in pri-
 ma Sessione ab ipsis tradita, contineban-
 tur, pronunciarunt.

Exinde Euthymius Episcopus Sarden-
 sis nomine Concilii legit Fidei Confes-
 sionem, in qua explicatis Mysteriis Tri-
 nitatis & Incarnationis dicitur: *Non*
Concilium, nec Imperatorum potentia,
nec invidiosa conjuratio Ecclesiam ab im-
pietate

pietate Idolorum liberavit, ut assidentes Sæcul. VIII.
in Conciliabulo Judaico adversus Sacras A.C. 787.
Imagines congregato somniarunt. Deus p. 319.
ipse, Deus, carnem assumens Idololatriam
expugnavit. Ipsi soli gloria! amplecti-
mur Doctrinam nobis traditam a Domi- p. 322.
no, ab Apostolis, & Prophetis; honoran-
dam esse primo loco Dei Matrem, quæ su-
pra omnes Virtutes Cælestes elevata est,
tum Angelos, Apostolos, Prophetas, Mar-
tyres, Doctores, omnes Sanctos, & eorum
Intercessionem nobis esse expetendam, ()*
cum

(*) Quid miremur, Interpretem nostrum, aliosque Protestantes Conciliorum Universalium hostes esse manifestos, cum in iis errores suos ante multa Sæcula damnatos cernere cogantur? Quid enim Lutheri alteriusve Novatoris Auctoritas valeat contra Auctoritatem Concilii Universalis, quod Oriens Occidensque recepit? At vero, erravit hoc Concilium Universale! si id respondeant Adversarii, redit Quæstio Protestantibus terribilis; Si Concilium septimum, consentientibus in Cultum & Invocationem Sanctorum quatuor Orientis Patriarchis, & Romano Pontifice, id est, toto orbe Christiano, a sana Doctrina aberravit, & Idololatriam reduxit, ubi tunc Protestantium, contrarium docentium, erat Ecclesia? vel ubi promissum Christi: *Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam?* Matth. 16. Hæc in Concilio VII. definita & centena alia in linguam patriam vertit Interpretes

Præ-

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

cum nos Deo commendare possint, si modo Divina mandata servemus. Recipimus etiam Crucis Figuram, Sanctorum Reliquias, eorumque Imagines. Amplectimur eas secundum antiquam Traditionem Patrum nostrorum, qui eas in omnibus Ecclesiis, & in omnibus locis, ubi Deo servitur, collocarunt. Has honoramus, has adoramus, nimirum Imaginem Jesu Christi, Sanctæ Matris ejus, & Angelorum; licet enim sine corpore sint, in forma tamen hominum apparuerunt. Honoramus etiam Imagines Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & aliorum Sanctorum, quia ejusmodi picturæ ipsos Sanctos nostræ memoriæ objiciunt, eorumque Sanctitatis participes nos efficiunt. Huic Fidei Confessioni duo Papæ Legati latine, Patriarcha vero Tarasius, Legati Orientis, & omnes Episcopi, numero trecenti & unus Græce subscripserunt, non numeratis Presbyteris & Diaconis, qui pro Episcopis absentibus nomen apposuerunt. Post Episcopos subscripserunt Abbates trecenti & triginta, quorum primus Abbas Sabas Studiensis fuit. Ita Sessio quarta finita.

4. Octobr.

p. 339.

§. XXXV.

Protestans, quibus luce clarius demonstratur, ipsius Ecclesiam (nisi Hæreticos velut Patres suos velit profiteri) ante Lutherum non extitisse.